

II. Progressum ad perfectionem exigit a nobis Deus: neque a solis sacerdotibus aut religiosis, sed etiam a sæcularibus, uti supra audivimus: *Fallis teipsum prorsus*, inquit Divus Chrysostomus, lib. III. contra vitæ monasticæ vituperatores. *et decipis, si putas aliud a sæcularibus viris, aliud a monachis requiri*. Desiderat enim Pater omnes filios sibi habere similes; suamque in aliis speciem intueri, juxta id Levitici XXI. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Scimus etiam Deum Abrahamæ adhuc in veteri illo et rudi legis statu dixisse: *Ambula coram me, et esto perfectus*, Genes. XVII. Probavit eum etiam in multis, quæ sunt maximæ perfectionis, uti in deserenda patria, in immolando ilio. Et cum ab Abrahamo perfectionem exigeret, non exigeret a Christiano? Nos certe Christiani sæculari ratione: *Filii Dei nominamur et sumus*, 1. Joan. III. Quis autem nescit quod parentes optent tales habere filios, qui cum ætate rescant in scientiis, virtutibus, rerum experientia? Ideo enim constituunt eis pædagogos, mittunt eos ad scholas, exterarum provincias, principum aulas, ut acquirant filios omniscientia et virtute excultissimos. Et quam ægre erunt, si filii in scholis nihil plane proficiant et stolones domum redeant! Quid miramur ergo si et Deus velit habere tales? Et hinc itaque toties et tamdiu nos flagellis suis castigat, ut vel his verberibus compellat progredi a tepore ad fervorem et virtutem. Quid enim sibi vult arator, cum arante boves a tergo sequens stimulis exagitat, nisi quia ignavos gressum accelerare cupit? Et cur Balaam ille asinam suam tam instanter verberibus objurgavit, nisi quia illa pergere non voluit?

III. Eundem a nobis exigit Christus, Matth. V. dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est*. Qui etiam propterea tanto nos pretio redemit, et, ut ait apostolus ad Ephes. V. *Dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*. En qualem nitorem desiderat in nobis Christus; qualem scilicet sponsus desiderat in sponsa, et quæ respondeat pretio, quod pro ea emenda dedit. Sibi enim vult eam placere, non aliis. Isaias, cap. III. asserit Ecclesiam a Christo plantatam veluti vineam, omnibus necessariis instructam. Verum cum expectasset ab ea fructum maturum et vinum generosum, deprehendit labruscas tantum, id est, *vas immaturas et acerbas*. Quare indignatus vineæ, statuit eam vastare. De synagoga quidem hoc ad litteram dicitur. Sed quid si etiam quadret nobis? Libro III. Reg. cap. IX.

legimus quantum contulerit Hiram, rex Tyri, Salomoni ad structuram templi; nempe ligna cedrina et abiegna per viginti annos, a suis cæsa et deposita, quotquot habuit necessaria; insuper et centum viginti talenta auri, III. Regum cap. IX. quæ sane ingentem conficiunt summam, qualiacumque tandem ea talenta fuerint. Sed cum Salomon pro tanto auro et viginti annorum operis ac lignis non daret ei in compensationem nisi viginti oppida vilia et sterilia, contemplatus ea rex Hiram, indigne tulit, dicens: *Hæcine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? q. d. suntne hæc civitates datae a fratre pro tanto subsidio? Atque, ut Josephus scribit, suas sibi Salomonem habere jussit, appellavitque terram Chabul, hoc est, lutosam, seu ut alii volunt arenosam*. Quid vero putamus contulit nobis Christus, ut templum cælestis gloriæ nobis extrueret? Nonne triginta tribus annis pro eo ipse laboravit? Jam si pro tanto labore et pretio demus ipsi terram Chabul, animas nostras steriles, lutas et arenosas, annon merito indignetur? Annon eas repudiabit?

IV. Exigunt majores nostri, primi Christiani, qui in omni sanctitate et justitia vixerunt, et omnium virtutum admiranda exempla urbis reliquerunt. Gloriantur Hebræi de Abraham patre suo sanctissimo; sed a Christo audierunt: *Si Abrahamæ filii estis, opera Abrahamæ facite*, Joan. VIII. Hoc argumento Tobias cæcitatem suam consolatus patienter tulit, cum amici ei insultarent, quasi frustra Deo servisset: *Nolite ita loqui*, inquit, *quoniam filii sanctorum sumus*, Tob. II. Eodem Mathathias moriens animavit filios suos ad tutandam contra gentiles religionem suam: *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen æternum*, 1. Macch. II. Idem nobis dictum putemus: *Filii enim sanctorum sumus*: filii S. Bonifacii, Ruperti, Kiliani, Wilibaldi, Udalrici, Othonis, Wolfangi, Corbiniani, etc. qui fidem Christi Germaniæ intulerunt, adeoque patres nostri sunt. Quales porro illi viri fuerunt! Quam sancti! Quam perfecti! Lamentatur Isaias, in oratione Hebræos sui temporis adeo degenerasse a majoribus suis, ut plane ab eis non agnoscerentur amplius, dum ait: *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos*, Isa. LXIII. quia, cum filii a patribus degeneres facti sint, suam similitudinem in eis non inveniunt, sed exosos Dei vident, ut exponit ibi Sanctus Hieronymus. Idem contingit sensim Christianis, et magis apparebit postremis temporibus. Idcirco enim dicitur Elias tunc venturus, ut suam prædicationem convertat cor patrum in filios, Malach. IV. effecturus nimirum suam prædicatione, ut Judæi residerent ad Christum convertantur, adeoque digni

erant amore majorum suorum, fidelium et sanctorum; quod etiam de Christianis tepidis, qui eo tempore futuri sunt, non temere dictum putamus.

V. Denique ipsi nos exigimus ab aliis ut nobis bene et ex parte omnia nostra peragant, veluti ab opificibus, ut nobis optimas vestes, calceos, domos faciant, et agros et vineas pulcherrime colant. Hinc quærimus tales artifices, qui artem suam optime calleant et studiose impendant: medicos, chirurgos, advocatos, nonnisi peritissimos et optimos inquirimus. Similiter et famulos volumus habere fideles, celeres, peritos, omnique virtute præditos. Memini mihi dictum a domino quodam, se velle habere pædagogum filio suo omni virtute instructum, omni vitio carentem. Quid mirum ergo, si tales non velit habere servos Deus? Audite quales regni gubernatores regi suo adolescentulo adjungi petierunt Catalani: *Constitui volumus, inquit, septem viros, qui Deum timeant, justitiam colant, cupiditates suas sub fræno teneant, neque donis ac muneribus moveantur*, Panorm. lib. IV. de reb. Alph. Ecce quales et quam omni ex parte perfectos requirunt isti populi administratores regni! Quin et artificibus, medicis, chirurgis, advocatis, qui nobis subjecti non sunt, indignamur, quando non reperiuntur tam periti, quales desideramus. Quanto æquius indignabitur Deus servis sibi subjectis, si in fide et charitate, adeoque in vita christiana, imperfecti sint?

Ad hæc mundi sectatores semper proficere et alios præcellere opibus et honoribus conantur. Miles qui vexillifer evasit, ad captaneatum aspirat; inde colonellus appetit fieri, inde supremus militiæ dux. Denique, videmus nonnisi illos celebrari, diligi ac provehi, qui in arte sua, qualiscumque ea sit, valde excellunt, reliquos non æstimari. Tales Deus desiderat, Eccles. XXXIII. *In omnibus operibus tuis præcellens esto*: Sanctus Gregorius Nazianzenus. ep. ad Eudoxium ait: *Ne sustineas inter graculos excellere, cum aquila esse possis*: aquilas desiderat Deus, juxta id: *Ubi est corpus, ibi congregabuntur et aquilæ*, id est, sancti ad Christum judicem. Et cur adeo pertinaci studio prosequimur bona quæ retinere non possumus, cætera vero non curamus? Cur non potius magni et opulenti esse cupimus in cælo? Ergo cum Carolo V. dicamus: *Plus ultra*, et cum Domino nostro: *Duc in altum*. Ibi capturam faciemus immensam. Quantum dolebunt ibi qui hic perfecti esse non laborarunt! Ergo laxate, laxate, quantum potestis. *retia vestra in capturam*.

CONCIO V.

INDUSTRIÆ QUIBUS MULTA ET MAGNA MERITA NON MULTO LABORE COMPARARI QUEANT.

I. Si sponte et hilariter quæ agenda sunt agamus. — II. Si cum magna charitate bene operemur. — III. Si ex pluribus virtutum motibus opus bonum perficiamus. — IV. Si heroica patremus opera. — V. Si quæ agimus, exacte faciamus. — VI. Si palam faciamus quæ ad ædificationem spectant. — VII. Si omnia opera ad Dei gloriam dirigamus.

THEMA.

Cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam. Luc. V.

Alexander M. rogatus aliquando qua tandem ratione tot hostes et nationes tam brevi temporis spatio in potestatem suam redegisset sibi subjecisset, respondit: *Consilio, eloquentia et arte imperatoria*. Ita refert Stobæus, ser. LIV. In hodierno evangelio audimus Christum Dominum innumerum piscium copiam in rete coegisse suo imperio. Quod si quis eum rogasset, qua ratione id effecisset, maxime cum Petrus tota nocte laborans nihil omnino cepisset, non absimile, arbitror, responsum dedisset: *Consilio, eloquentia, et arte imperatoria*. Consilio, suadendo Petro ut in altum duceret: eloquentia, persuadendo piscatoribus ut in ipsius nomine jactum tentarent et laxarent retia in capturam: arte imperatoria, imperando piscibus potestate sua divina ut in retia confluerent. Miram hanc piscandi artem forsitan et vos, auditores, nosse desideratis. Sed quid magni eritis, si piscatores fueritis, et nihil nisi pisces quantumcumque numero cepertis? Quid inde in altera vita lucri reportabitis? De his enim Isaias, cap. X. ait: *Mareunt piscatores et tugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum, emacescent*. *Quare æmulamus charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam demonstro vobis* (1. Cor. 12.) *Retia vestra in cælum mittite, et virtutum merita copiosa, eaque paucis jactibus et exiguo labore vobis comparate, quibus in cælo divites et beati sitis*. At unde nobis, dicetis hæc industria? Docebit vos hanc Dominus in hoc evangelio, proponendo quasi typum vobis piscationem Petri.

I. Si quæ facimus, sponte et hilariter, non coacte et ægre faciamus. Tali promptitudine perfecisse opera sua comprobatur sponsa ex eo quod ait Cant. V. *Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima*. Probatissima hæc, seu, ut alibi vocatur, *myrrha prima* est, quæ sponte sua fluit ex frutice: secunda est, quæ ex incisa adeoque coacte defluit,

Illius libra una præstat duabus vel tribus myrrhæ secundæ. Indicat ergo opera bona, quæ impulsu amoris ultro et cum gaudio fiunt: quorum unum tale plus meretur, quam plurima alia quæ ab invito patrantur. Luculenter id ostendit S. Ambrosius, serm. XIV. in Psal. CXVIII. ex eo quod dicitur Psal. LIII. *Voluntarie sacrificabo tibi*. Ait enim: « Expectat Dominus voluntarios ministros. In Isaïæ libro dicit Dominus, cap. VI. Quem mittam? Utique servulo suo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, nvererat. Sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui, ut ipse se offerret, præstolatus est. Et quamvis sciret ejus affectum, expectavit tamen vocem, ut cumlaret gratiam se offerens. Unde Isaïas missus est ad populum. deo de eo dictum est, quia Isaïas audet et dicit. Et enim quasi voluntarium organum uberiore spiritus sui gratia Christus implevit. » Hanc ob causam etiam Dominus cum posset imperare Petro, ut navim a terra reduceret, vel hoc ipsemet uno nutu facere, noluit tamen sed rogare potius voluit Petrum ut abduceret cymbam; **quo doceret**, opera quæ voluntarie et libenti animo fiunt ipsi maxime placere, non amari quæ vi quadam extorquentur. Quia vero ea quæ ex obedientia fiunt eadem cum promptitudine, non modo non imminuunt meritum, sed adaugent: ideoque postea imperare aliquid Petro voluit, ut duceret in altum. Quare si ex superiorum obedientia prompto animo faciamus imperata, non ex propria electione, conduplicamus meritum, addendo bono operi quod peragimus etiam opus obedientiæ. Quemadmodum enim mater Moysis, Jochabed, non tantum recipit filium ex aquis extractum, aluit et educavit velut suum (quod alias libentissime velut mater gratis ei præstitisset) sed etiam velut alienum, mercede ad hoc conducta a filia Pharaonis, adeoque duplex lucrum ex uno collegit opere, Exod. II. ita qui opus bonum peragit, non modo libens volens, sed insuper ex voluntate superiorum, duplex meritum reportat; operis **nimirum per se boni**, et obedientiæ. Atque hæc de causa Petrus tam copiosam conclusit piscium multitudinem Domino remunerante tam promptum ejus parendi studium, quo contra spem ullius fructus retia expandit ad imperium Domini.

II. Si cum magna charitate bona operemur, quod videtur indicari verbo *laxate*. Laxant enim retia sua qui, quam ferunt, spatiosissime extendunt: laxant corda sua qui, quæ possunt, omnia faciunt, et si valerent majora facere vellent. Corda Deus respicit: *Nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur*, ait Beda, **seu**, ut ait S. Augustinus: *Divites et pauperes*

non interrogat Deus in arca, sed in corde. Philo. in I. de victim. offerent. ait, Deum in templo duo habuisse altaria: unum aureum seu auro tectum, in quo vota et desideria sancta fidelium offerebantur: alterum non inauratum, sed vulgare, in quo animalia in victimæ immolabantur. Cur illud aureum, hoc non? Quia Deus potius affectum et charitatem, cum qua offeruntur hostiæ, quam ipsas hostias respexit. Hæc via Abraham maximo suo merito suscepit tres angelos in hospitium suum: tametsi minime lauto excepit convivio, nec magnifico in domicilio, Genes. cap. XVIII. Aquam enim lavandis pedibus obtulit, panes apposuit et vitulum mactavit; sed quia maxima charitate hæc exhibuit, ideo in sterilitate sua filium pro mercede obtinuit. Institit enim ut ad se diverterent: festinavit indicatum Saræ, ut hospitibus cœnam pararet: attulit aquam, cucurrit ad armentum, et tulit inde vitulum; et interim omnia hæc extenuat, paucillum aquæ bucellam panis tantum promittit. Unde S. Chrysostomus in eum locum ait: *Quia magna alacritate processit, et contentione assecutus est venationem, et prædam intra retia conclusit*. Qui forti lacerto tendit arcum, poterit ligneo telo perforare januam; quam non perforabit ferro, si remisse arcum extendat, uti experientia compertum; ita qui dat sitiienti potum aquæ cum charitate, plus lucri spiritualis poterit obtinere, quam si integrum vas vini tribuat cum murmure. Charitas enim est mensura et norma meritorum. Id videtur in Levitico, cap. XXVII. sibi voluisse lex illa: *Omnis æstinatio siclo sanctuarii ponderabitur*. Siclus sanctuarii, quid nisi amor Dei est? *Pondus meum amor meus*, ait S. August. lib. XI. de civ. cap. VIII. Omnia ergo opera nostra charitate ponderantur: quanto hæc major fuerit, eo plus illa valebunt.

III. Si unam eandemque actionem ex pluribus virtutum motivis faciamus, vel etiam aliarum circumstantiarum accessione ornemus et ditemus; quomodo annulus aureus ex gemma pretiosa, vel imago ex adjectis regionibus fit pretiosior et elegantior. Prioris industriæ exemplum est, si quis jejundet, non solum ut Ecclesiæ præcepto velut filius obediens satisfaciatur; sed etiam ut carnem suam castiget: rursus, ut sibi de victu aliquid detrahens, pauperi id impendat: denique, ut exemplo suo promixum ædificet: quatuor hic merita ex uno jejunio prodeunt: rursus, si quis eleemosynam det non tantum ut pauperi succurrat ex misericordia, sed etiam ut eum a furto vel alio peccato revocet, vel ut proximum ad eandem liberalitatem excitet, etc. Posterioris, si quis jejundet, et tempus quod cœnando consumeret,

piæ orationi dedicet, victum sibi subtractum pauperibus transmittat, vel ipse eis afferat: si quis concionem audiat, interim stando loco incommodo, velut in solis æstu seipsum mortificet, sua attentione et silentio interim alios ædificet, excreationes et tussim, ne alios turbet, cum difficultate sua cohibeat, etc. rursus, si dum uni bono operi vacat, v. g. reficiendis pauperum vestibus vel lavandis pedibus, interim oret vel pium aliquid meditetur de vita Christi: si expansis brachiis, vel nudis innixus genibus, vel prostratus in terram oret, etc. Sic enim eadem, ut dicitur, fidelia duos dealbare parietes, imo tres vel quatuor non difficile poterimus. Certe qui industrii sunt economi, artem hanc præclare callent, et sedulo exercent ad augendam rem domesticam. Illustre est quod de Thracia muliere legimus, apud Constantinum Porphyrogenitum, lib. I. them. III. in hæc verba: « Rege ad murum urbis consistente præterit Thracis uxor, urnam capite gestans, manibus vero colum et fusum: a tergo autem equus pone alligatus erat, atque urna quidem, quam vertice gerebat, referta erat esca, manibus vero nens colum et fusum exercebat, pone autem equus, quem adæquarat, cingulo annexus sequebatur: quam conspectam rex vehementer admiratus est: et unde, quænam, ex qua urbe esset, rogavit. Quæ respondit, Mysiam se natione esse, (est vero id Thraciæ oppidum.) Rex itaque, arrepta ex hac muliere occasione, missa ad imperatorem Thracum, Colyn nomine, legatione, colonos inde cum uxoribus et liberis accepit, turbam satis numerosam: ex hac natione vocati sunt. Asiæ minoris incolæ Thracerii, quod sit operosa ac laboriosa, et opere manuario victum sibi quærunt. » Potuit hæc mulier tria simul opera pro lucrando pane mira industria peragere: et non velimus aut possimus nos pro tantis cœli coronis similia facere? Videtur mihi hæc industriam insinuasse Dominus in hoc evangelio, dum ait: *Laxate retia vestra*. Quænam illa plura retia? Unica erat navicula in qua navigabant, quæ utique non nisi unicum habuit rete. Ecce igitur *retia laxari jubet Dominus*? An quia unum rete nonnunquam instar plurium est, cum docte nimirum et industrie laxatur? Ita sane Petrus in hæc una sua piscatione multa virtutum merita collegit: meritum obedientiæ, dum ad jussum Domini rete in mare jecit, licet fructum non speraret; meritum humilitatis, dum interim coram eo procidit in genua orans: *Eci a me Domine, quia homo peccator sum*; meritum religionis, dum Christum adorat velut Deum et cultu patriæ veneratur; meritum charitatis, dum in partem prædæ socios piscatores

advocat; meritum paupertatis voluntariæ et contemptus mundi, dum, relictis omnibus, sequitur Christum. Certe ac sua industria mire placuit Christo, et meruit ab eo in apostolorum numerum adlegi, et denique primatum inter eos consequi, velut bonus et industrius paterfamilias.

IV. Si opera patremus heroica, quæ raræ sunt virtutis. Hoc ni fallor indicant verba illa Domini: *Duc in altum*. Ad litus maris non nisi parvi pisces, in alto mari magni capiuntur: et hi notant opera heroica, quorum unum plus meriti parit, quam vulgaria simul plurima. Tale est, quando toti multitudini resistimus erranti a via veritatis, et oppositum tuemur ac sectamur quomodo Josue et Caleb soli opposuerunt se legatis aliis promissæ et lustratæ terræ detrahentibus, eamque e contrario mire commendarunt, populumque tumultuantem sua constantia composuerunt. Qua unica commoverunt, ut soli ipsi ingrederentur terram illam: et Josue insuper in principatu Moysi succederet: Caleb vero, quia prior populum compescuit, velut animosior etiam ipso Josue, singularem a Deo laudem propter heroicum actum obtinuit: *Servum meum Caleb*, inquit Dominus, *qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc*, Num. XVIII. Tale est votum castitatis in conjugio, quale erat S. Juliani et Basilissæ martyrum, qui cum prima nuptiarum nocte virginitatem Deo vovissent, ss. angeli præsentem Christo et beatissima Matre ejus, acclamarunt: *Vicisti Juliane, vicisti*: et: *Beata es Basilissa*! moxque Juliano liber oblatus est, in quo scriptum erat: *Julianus deputetur in numero eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, et Basilissa in numero virginum, quorum Maria tenet principatum*, responderuntque angeli: *Amen*. Refert D. Anton. 1. p. chron. t. VIII. c. 1. par. XX. et *Metaph. ap. Sur. 9. jan.* Tale etiam est injurias æquo et hilari animo perferre. Qua de re C. Ægidius Mifforita dicebat: *Longe præstabilius est et conducibilius magnam injuriam Dei amore absque murmure perferri, quam centum famelicos homines quotidie pascere, et nullo tempore jejunare usque in vespere, donec stellæ emicent in celo*, apud Sur. 23. april. in ejus vita. Tale orare pro inimicis, quod quia S. Engelbertus archiepiscopus Coloniensis egit, dum ab impiis iniquissime occideretur, ideo post mortem tot miraculis claruit: quod vel ipse Satan in obsesso contestatus est. « Quando volutabatur in suo sanguine ait, et jam moriturus erat, percussoribus suis medullitus ignovit, ita dicens: Pater ignosce illis. Propter hunc sermonem tam potens effectus est apud Altissimum, ut non negetur ei quidquid ab illo petierit, Idque pro comperto habea-

tis nunquam ullum Coloniæ sedisse episcopum in pontificis cathedra, qui tantum possit apud Deum tantique apud illum sit meriti ut Engelbertus, » ita in ejus vita Cæsarius, apud Sur. 7. novemb. S. Elisabetha vidua, ea oratione, qua precabatur ut Deus omnes ejus inimicos singulari aliqua gratia donaret, plusquam aliis omnibus precibus suis Deo placuisse, omniumque peccatorum remissionem obtinuisse, refertur a M. Avila, epist. VI. Hujusmodi opus est Deo gratias agere tempore tribulationis et tentationis, de quo Idem Magister, ep. II. aiebat: *Plus valet unum Deo gratias tempore tentationis, quam sex millia in prosperitate.* Similiter avertere vel revocare aliquem a peccato plus meretur apud Deum, quam mille esurientes pascere vel ecclesias ædificare. In hujus rei informationem Deus in v. t. masculo semper fœtus tam hominum quam ovium offerri sibi voluit, uti Exod. XII. agnum masculum, et Exod. XIII. primogenita omnia masculini sexus, ut indicare mascula et heroica seu virilia opera maxime Deo placere, et apud ipsum plurimum valere.

V. Si quæ agimus bona, quantumvis in se parva sint, magno tamen studio et exacte peragamus. Minimum enim quid est etiam in parva excellere, et: *Satius est bene agere aliquid exiguum, quam multa perfunctorie,* ait Plato in Theæte. Nam magnum est omne quod bene fit. Unde insignis grammaticus pluris æstimatur, quam mediocris orator aut philosophus: peritissimus aliquis artifex, v. g. pictor celeberrimus, magis honoratur et ditatur, quam medicus aut doctor aliquis minus in arte sua vel scientia excellens. Hinc etiam una imago artificiose picta plus valet, licet parva sit, quam mille aliæ rudes et magnæ. Poeta Græcus Euripides intra triduum non nisi tres versus scripsit. Carpus propter hoc ab Alcestide poeta tragico dicente se interea centum composuisse, respondit: *Sed hoc interest: tua triduo tantummodo, mea vero in omne tempus sufficient,* Cyrald. dial. VII. hist. poet. Non secus is, qui exigua, excellenter tamen perficit opera virtutum; plus multo laudis et meriti acquirat, quam qui plurima, sed neglectim. Insinuatam hoc videtur a Domino verbo illo *duc*, non enim ait: Da vela ventis, vel impetra remigibus, ut impellant navim; sed: *Duc*, ipse laborat et remigat, donec in altum maris veniamus. Magis elaborata censentur quæ ab ipsis artium magistris perficiuntur, quam quæ ministris eorum committuntur. Petrus nauticæ et piscatoricæ artis magister erat, proinde navim melius quam alii regere sciebat. Quare omnia nostra accurate faciamus, et minimo etiam labore magna lucra faciemus. Ideo monuit Eccles. c. XXXIII. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.*

Quidquid enim loquimur aut agimus, irrevocabile est, æternum est; quare uti Zeuxes ille morose quidem omnia sed excellenter pinxit, quod æternitati pingere se diceret, teste Plinio, l. XXXV. c. IX. ita etiam satagemus nos, ut in omnibus etiam minimis nostris actionibus accurati simus, quia æternitati operamur. Nihil etiam magni agit, qui in agendo nullam difficultatem sentit. plurimum vero qui laborat in suo opere, et cum Petro remigat. Diogenes cum in foro sub acri hiemis frigore statuam æneam complexus esset, interrogatus fuit a Leone, an quid alioris inde sentiret. Negante illo: *Quid igitur magni facis?* inquit Plut. in Lacon. Parum ergo merentur, qui parum laborant bene operando. E contra vidua illa, quæ cum non haberet nisi pugillum farinae, Eliæ impensum, recepit maximo fœnore, III. Reg. XVII. et quæ duo habens minuta, misit in gazophylacium, prælata est a Christo omnibus opulentis, quæ grandia obtulerant, Luc. XXI.

VI. Si quæ vel ex præcepto vel ad Dei gloriam tuendam atque amplificandam, vel ad ædificationem proximi pertinent, palam faciamus et animo imperterrito: longe plus merebimur, quam si clam et intra privatos parietes. Non semper in occulto facienda sunt bona, sed in prædictis circumstantiis longe majori fructu fiunt in publico. Quod videtur insinuatam a Domino, dum interdum jussit Petrum retia laxare, quod prius tota nocte, sed in vanum Petrus fecerat. Quando pisces capiendi, h. e. quando animæ lucrandæ, vel Dei honor quærendus est, de die piscandum est, ut videant homines opera nostra bona, et inde ædificentur, ac glorificent Deum. Unico illo actu, quo Josephus ab Arimathea et Nicodemus Christum de cruce depositum cum honore sepelierunt, plus haud dubie meruerunt, quam in omni priora vita sua: quia per illum actum Judæorum odio et infamie, necnon vitæ periculo se exposuerunt. Sic enim et ipse Dominus in medio terræ salutem operatus est, cum in civitate celeberrima, in festo paschatis solemnissimo, in conventu hominum frequentissimo, in ipso meridie, medius inter latrones infami in cruce mori voluit, ut copiosa ejus esset apud Deum redemptio.

VII. Denique, si omnia nostra opera ad Dei gloriam dirigamus et offeramus. Hac enim ratione ea quasi innumerabimus et meritoria efficiemus, licet alioquin in se cuprea tantum et indifferentia, rustica, fabrilis, vel politica sint. Id in alia piscatione Christus ab inferis rediit, sed in hoc eodem mari Tiberiadis docuit discipulos, cum in dexteram navigii jussit mittere retia, Joan. XXI. Quid enim dextera nisi intentio cœlestis? Quid sinistra nisi terrena est? In sinistra ne unus quidem pisciculus, in dextra 153.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

magni pisces capti sunt. Qui ergo omnia sua opera dirigit ad Deum, in omnibus lucratur, et quasi usurarius quidam, sive edat, sive laboret, sive dormiat, sive vigilet, perpetuo ditatur. Sic pecunia ex consilio Domini datur ad usuram, et cum fœnore recipitur. Sic contingere potest, ut, quemadmodum claudus pergens in via continuo, quandoque antevertit velocem cursori sapienter divertentem; ita opifex vel rusticola

continuo hoc lucro superat religiosum desidiam. Sed de hoc alibi sæpius diximus.

Quando igitur vidimus quot industriis et quam facile maxima comparare merita, adeoque cum B. Petro ingentem piscium capere multitudinem possimus; utamur hisce mediis, ducamus in altum, et laxemus retia nostra in capturam: sic ipso Alexandro M. ditiores et potentiores evademus; sic enim B. Petro ad culmem gloriæ ascendimus.